M. ROBERTI HOVÆI SCOTI,

DE

Communione Fidelium cum Christo

ΔΙΔΑΣΚΑΛΙ'Α:

Ad publicam disputationem mensi Septembri debitam proposita.

De qua in Scholis Theologorum interrogantibus respondebit 3. Septembris

LAVRENTIVS STRASSERVS Basilienſis.

Auguſt. tract. in Ioan. 50.

Aſcendit in cœlum corpus Chriſti. Reſpondeat aliquis: Quomodo tenebo Chriſtum abſentem? Quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi ſedentem teneam? Fidem mitte & tenuiſti: parentes tui tenuerunt carne, tu teneto corde.

Sum Johannis Heidfeldii. Ao C 92.

Heidfeldio

EXIMIIS CHRISTI SERVIS,
D. IOAN. RODOLPHO STVMPHIO,
Ecclesiæ Tigurinæ fideli Episcopo:
&
Dn. IOAN. GVLIELMO STVCKIO,
sacræ Theologiæ in Schola Tigurina
Professori doctissimo:

M. ROBERTVS HOVÆVS SCOtus, gratiam & pacem á Domino precatur.

VRbem Tigurinam propter præclara in Rempub. Christianam merita, & communé Ecclesiæ Scoticanæ & vestræ, fidei Confessionem, maximi semper feci & facio. Illa tanta sunt, ut veré in Domino gloriari possit Ecclesia vestra, præclaros se Viros in Dei messem emisisse. Hęc tam sancta necessitudo est, ut nulla vel sanctior, vel arctior esse possit, quám fidei unitate ceu adamantino vinculo conjungi. Accessit & singularis vestra erga me benevolentia, quæ privato quodam jure me vobis devinxit, ita ut quos antea publico tantúm nomine dilexeram, diligam item privato. Quare Aphorismos hos, quos authoritate Rever. Viri, D. Io. Ia. Grynęi, summi Theologi, Præceptoris & Patroni mei, adductus conscripsi, meæ saltem in vos ob privata merita gratitudinis indices, cum ob publica, in referenda gratia, pares esse non possint, ad vos mitto. In quos si vel vos, vel collegę vestri, Viri veré magni, & nostra commendatione & prædicatione superiores, diligentissimé & severissimé inquisiveritis, putabo ad priora vestra in me beneficia, & hoc quoq; cumuli instar accessisse. Valete. Dominus benedicat sanctis vestris laboribus.

Basileæ XXII. Augusti

1590.

Theſes Theologicæ,
DE COMMVNIONE FIDELIVM CVM CHRISTO.

I.

NIO fidelium cum Chriſto, tam neceſſaria eſt ad ſalutem, ut fruſtrà vel Pater Filium in mundum miſiſſe, vel Filius pro nobis mortuus videri poſſet: niſi nos donum illud Patris amplecteremur, & ita Chriſto uniremur, ut bonorum ipſius participes eſſe poſſimus. Ioan. 3. v. 3. 5. 8. item 6. v. 53. & 17. v. 3. Rom. 8. v. 9.

Vnionem cum Chriſto homini neceſſariã eſſe.

II.

At quî fieri poteſt, ut hoſtes Dei, homines in peccatis mortui, Deum odio habentes, qui nõ poſſunt cognoſcere ea quæ ſunt Spiritus Dei, Coloſſ. 1. v. 21. Tit. 3. v. 3. 1. Corinth. 2. v. 14. vel credant, Patrem Filium unigenitum prõ hoſtibus ſuis in mortem dare voluiſſe: vel, Filium pro hominibus, qui inimicitias cum ipſo exercent, voluiſſe mori? niſi ipſe Deus infinitam ſuam potentiam hic exſerat, cordaq́ hominum immutans, plenè illis perſuadeat, diligere ſe impensè humanum genus: idemque per S. ſanctum organon illud in hominibus creet, quo Patris illud donum, id eſt, Chriſtum cum ſuo merito et efficacia, poſſint amplecti. Ier. 31. 33. Rom. 8. 9.

Non poſſe ab hominibus fieri, ſed à Deo.

III.

Organon ſeu vinculum à S. ſancto in nobis creatum eſt fides, cuius beneficio κοινωνία hæc cum Chriſto perficitur. Oſe. 2. 22. Ioan. 6. Rom. 8. 14. 15. 16. Epheſ. 3. 17. 1. Iohan. 3. 24.

Ideo à S. ſancto fieri per fidem.

IIII.

Quid sit. Κοινωνία cum Christo, est arctissima unio cum Christo spiritualiter per fidem, qua & Christi & omnium beneficiorum ipsius participes sumus ad vitam aeternam. Ioan. 6. 40. 1. Ioan. 5. 1. Rom. 8. 11.

V.

Duo in ea spectari. Communionis huius consideratio duabus partibus absolvitur. 1. ut sciamus τὸ κοινὸν, seu quodnam sit omnium fidelium commune illud bonum. 2. ut intelligamus illud ius, quod singuli fidelium in illud habent.

VI.

De priore, et in ea quoque duo spectari. Τὸ κοινὸν ἀγαθὸν est Christus, cum suo merito & efficacia: is est thesaurus ille, panis vita, fons aquæ vivæ, & funiculus hæreditatis singulorum electorum. Ephes. 3. 8. Ioan. 6. 51. Ioan. 4. 10. 14.

VII.

Occupatio Verum quidem est, & nostram miseriam nobis cum Christo factam communem. Hebr. 3. 17. & 4. 15. Psal. 22. Iesa. 53. sed ille illã suscepit, ut nobis sua bona conferret abolitis nostris malis. Neque illud solum, sed & hoc quoq; verum est, nos omnes tanquam populus acquisitus, ab ipso Deo possideri, esseq; Patris, Filij & S. sancti ovile, vineam, hereditatem. Ioan. 10. Marc. 12. 1. Iesa. 5. Ier. 2. 21. Exod. 15. 16. Deut. 4. 19. Psal. 78. Sed nostrum institutum, qui consultum esse volumus inopiæ electorum, in eo proprie versatur, ut ostendamus quid illud sit in Deo, quod hominibus communicatur, & quomodo illius participes fiant.

VIII.

In fidelium communi thesauro primò considerari Dicimus non tantùm meritum & efficaciam Christi, id est eius beneficia, sed & ipsum Christum esse illud κοινὸν ἀγαθὸν. Nam & tabulæ fœderis eum nobis offerunt. Rom. 8. 32. Psal. 2. 12. Iesa. 9. 5. 1. Ioan. 4. 10. & Sacramenta huius communionis

σφραγῖδες

τοφραγῖδες eundem nobis obsignant. 1. Cor. 10. 16. & quia, ut recte dixit Vigilius Martyr, nec thesaurus hic sine agro, nec ager hic sine thesauro ab aliquo possideri potest. Christum ipsum.

I X.

Quia autem Filius Dei non potest esse noster, qui lapsi sumus in peccatum, nisi idem sit homo: ideo nos hic recte λογον, ut Christum, & ἀνθρωπον consideramus. interim tamen, ut Christi membra simus, non satis est esse nos homines, sed necesse est esse Christianos, ut infra ostendemus. Christū cōfiderari ut Immanuelē & ratio cur id fieri debeat.

X.

Cùm Christum dicimus esse communem illum fidelium thesaurum, sequitur & Patrem esse commune illud fidelium bonum: & cum simus fratres Christi, habere nos item & communem Patrem. Psal. 103. Mal. 1. 3. Matth. 6. 9. Ioan. 20. 17. & 14. 21. quin & Spiritum quoq; sanctum, quia Spiritus sanctus est Christi Spiritus. Ioan. 16. Rom. 8. Fideles ita Christū possidere, ut eodem jure Patre & S. S. possideāt

X I.

Meritum Christi, duo complectitur. 1. Obedientiam Christi, quæ homini ad iustitiam imputatur. 2. Aeternam vitam. Rom. 5. 12. 19. De altera parte vñ non vñ, id est, Christi beneficijs.

Efficacia est S. sancti donatio, qua Christus efficit, ut in nobis sentiamus quæ ipse suo merito nobis acquisivit: nempe peccatorum remissionem per iustificationem fidei, & instaurationem imaginis Dei in vita novitate, quam primitias vocare potes æternæ vitæ. Ephes. 1. 14.

X I I.

Hæc ideo requirebantur, quia Deo qui sanctus est, nulla vel societas, vel communio esse potest cum peccatoribus. Deut. 4. 24. & 9. 3. Hebr. 12. 29. Quare ut societas & communio aliqua inter nos constet, necesse est ut nos non peccatores, sed iustos agnoscat in Filio. Adhæc pugnat cum Dei natura, ut eos qui Cur talia beneficia requirebantur,

Diaboli imagine præditi ſunt, & qui non deſinunt peccare, pro iuſtis agnoſcat: quare rurſus, ut communio inter nos conſtet, neceſſe eſt ut per S. ſanctum inſtauret in nobis imaginem ſuam, efficiatq; ut in ſanctificatione vitæ magis magisq; proficientes, tandem prorſus deſinamus peccare.

XIII.

Ex conſideratione beneficiorum Chriſti, duas partes κοινωνίας cõſtitui.

Hinc ex cõſideratione huius κοινῦ, cum ad beneficia inquam Chriſti reſpicitur, duæ partes κοινωνίας fidelium cum Chriſto conſtitui ſolent, Iuſtificatio & Sanctificatio.

XIIII.

De Fideliũ jure, quæ eſt altera generalis pars hujus doctrinæ. Ius illud duplex eſſe.

Ius fidelium in hoc commune bonum duplex eſt. 1. Quód ſicut Deus Filium in mundum miſit ad ſalutem electorum, ita & ſingulis eundem donet & offerat per Evangelij prædicationem, ut hic theſaurus ipſorum ſit. 1. Ioan. 4. 9. Epheſ. 3. 8. Ioan. 1, 16. 2. Quód ſinguli fidelium Chriſtum cum ſuis beneficijs, illud ſingulare Patris cœleſtis donum, per fidem à S. ſancto in cordibus excitatam, amplectantur. Ioan. 1. 12. Gal. 4. 4. 5. 6.

XV.

Quia fides hæc, per quã (ſi nos reſpicias) ius in Chriſtum & ipſius beneficia conſequimur, S. ſancti effectum eſt: ſolet modificatè voce Spiritus in Scripturis ſæpè ſignificari.

XVI.

De ejus altero mẽbro

Fit autem hæc communio per fidem, applicatione promiſſionum Dei nobis ipſis.

XVII.

Quid ſit applicatio.

Applicatio hæc, qua participes Chriſti & omnium beneficiorum ipſius reddimur, nihil aliud eſt quam opus S. ſancti, cum fides unde oritur, à S. ſancto ſit, cuius vi intellectus illuminatus non ſingulare verbum é cœlo expectat, ſed ratiocinando á generalibus promiſſionibus directis ad generalia obiecta, deſcendit ad obiecta ſpecialia, promiſſiones generales ijs accõmodans.

Conſtat

Conſtat autem applicatio ſeu accommodatio hæc, ſyllogiſmo (ut vocant) practico, dum nimirum cor in praxi ſentit ſe tale eſſe obiectum, ad quod promiſsio dirigitur, & ratiocinando à promiſsione & natura Dei verace & omnipotente, de promiſſionis complemento concludit. Exempl. Promiſsio *eſt: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quia ſaturabuntur. Matth. 5.6.* Applicatio: *Ad omne obiectum, quod ſentit in ſe famem et ſitim iuſtitiæ, pertinet promiſsio præſentis beatitudinis & futuræ ſaturitatis. Ego per Dei gratiam famem illam & ſitim in me ſentio. Ergo etiam præſentis beatitudinis & futuræ ſaturitatis promiſsio ad me pertinet. Et cum Deus qui promiſit, ſit verax & potens, fieri non poteſt quin ijs fruar, &c.*

Modus quo fiat, exéplo illuſtratur.

XIX.

Nulli unquam fideles alia ratione participes facti ſunt Chriſti & beneficiorum ipſius, quam hac applicatione, quæ fit per fidem, qua amplexi Mediatorem Chriſtum, in eum ſolum reſpiciebant. Exod. 19. 6. Hebr. 4. 2. Ioan. 8. 56. Galat. 4. 29. Quare cùm eadem ratione omnes ſervati ſint, ſequitur fideles utriuſque teſtamenti eſſe conditione pares, ſi vel id quod communicatur, vel ius illud quod habent in commune illud bonum, conſideres.

Per fidē tantúm, ſi homines reſpicias, fieri hác cómunionem, & ſemper factam eſſe.

XX.

Hinc, quia ſola fide hæc κοινωνία cum Chriſto perficitur, ſunt illa fidei elogia in Scriptura, Ioan. 8. 24. Rom. 14. 23. Hebr. 11. 6. Ioan. 6. 47. Ratio: quia omnes qui fide carent, cum κοινωνίαν cum Chriſto non habeant, alieni ſunt à Deo & ipſius fœdere, ideoq; iam condemnati. Ioan. 3. 18.

Fidei elogia *κοινωνίας* hujus reſpectu.

XXI.

Quando per fidem fieri dicitur, conſtat cur ſpiritualis κοινωνία vocetur: cum animi & fidei tota hæc apprehenſio ſit, &

Communionē hanc ſpiritualem

esse, & ejus ratio.

per Spiritus sancti operationem in animis hominum efficiatur.

XXII.

Absurda quorúdam sententia refellitur.

Spiritualis ergo dicitur non respectu eius quod communicatur, cúm certum sit Christum non tantúm spiritu, sed & humanitate, imó totum quantus quantus est, nobis communicari: multó minus quód Christi corpus ore accipiamus invisibiliter, illocaliter & hyperphysicé, quemadmodum contra fidei analogiam, & veritatem humanæ naturæ in Christo, crassi homines absurdé commenti sunt.

XXIII.

Esse cõjunctionem cõjúctissimã.

Cúm item á fide per Spiritum sanctum fiat, patet non esse imaginariam, sed arctissimam, verissimam, & (ut ita dicam) realissimam, cúm illud vel maximé verè & realiter fiat, quod á Dei spiritu fit.

XXIV.

Confirmatur collatione minorũ.

Quin adeó firma & arcta est hæc nostri unio cum Christo, ut excepta unione personarum in essentia divina, & unione duarũ naturarum in Christo, nulla hac sit arctior vel firmior.

XXV.

Cum nulla detur æquè arcta, nõ posse rerum terrenarum conjúctione ex primi, sed modoquodam adumbrari.

Vt autem summa illa coniunctio nobis adumbretur, solet Scriptura eam varijs similitudinibus, á rebus terrenis desumptis, quæ arctissimam unionem habent, declarare. Vt similitudine unionis cibi & potus cum nostro corpore. *Ioan. 6. 53. Nisi ederitis carnem filij hominis, &c. id est, nisi tam arctè coniungamini cum meo corpore, quám arctè coniungitur cum vestro cibus & potus, non habebitis vitam.* Coniugij, *id est, coniunctione sponsi & sponsæ, mariti, uxoris. Ier. 3. 1. Ose. 2. 16. 18. 21. Esa. 54. Ezech. 16. 8.* Capitis & membrorum, *Ephes. 1. 10.* Coniunctionis patris & filiorum, *Hebr. 2. 13.* Fratrum *inter se, Heb. 2. 11. 12. Matth. 12. 49. Rom. 8. 29.* Cohæredum, *Rom. 8. 17.* Patrisfamiliâs & familiæ,

familiæ, cuius gubernator & Paterfamiliâs est Deus. Amicorum, *Luc.12.4. Ioan 11.11. & 15.12.* Inhabitationis, *& quidem reciprocæ, Eph.2.22. Ioan.14.23. et 15.4.5.6. Hinc templa dicimur Dei, 2. Corinth.6.16.* Vestimenti *& rei indutæ, Roman.13.14.* Aedificij *& eius partium, Coloss.2.7. & in aedificio rursus similitudine* fundamenti, *1.Cor.3.11.* Angularis lapidis, *Ephes.2.20. & similitudine* insitionis *quæ in arboribus cernitur, Coloss.2.7. Item* agglutinationis, *1. Corinth. 6. Vnde Ecclesia, id est, fidelium collectio, est corpus cuius caput est Christus, sponsa cuius sponsus est Christus, domus cuius fundamentum est Christus, &c.*

XXVI.

Hæc similia partim metaphorica tantùm sunt, partim etiam metonymica, quia ad Sacramenta, quibus hæc κοινωνία obsignatur, respicitur.

Similia hęc ad duos ordines referri posse.

Πορίσματα 3.

1. Christum esse solum illum panem vitæ, quia in eo solo idq; copiosè homines inveniunt, quo famem & sitim animarum, quæ destitutæ Dei gratia extra Christum languent & contabescunt, sedent & restinguant, & quo nutriantur ad vitam æternam.

2. Infideles nullam cum Christo habere κοινωνίαν, 1. quòd nec illis datus sit, nec ipsi Christo, nec Christus pro illis orarit, Ioan.17.9. 2. Quòd fide careant, qua hæc κοινωνία perficitur. 3. Quòd communionis huius fructum nunquam sentiant, Ioan. 6.50.51.

3. Hanc κοινωνίαν non esse Physicam, quæ vel substantiarum permistione, aut oralis carnis Christi manducatione, aut ulla carnis ipsius cum nostra, σωματικὴ fiat. Quia, 1. nec promissa est, imò pugnat cum veritate corporis Christi, cum analogia fidei, & tota sacra Scriptura. 2. Nec debet fieri. Nam si nefas est personas in trinitate, ubi summa identitas essentiæ est: vel

est: vel naturas in Christo ubi identitas est substistentia, permiscere inter se, multò minus licebit eas permiscere nobiscum. 3. Nec prodesset, Ioan. 6. 63. 4. Et quia Christi corpus intra nostra corpora assumptum hac ratione non effugeret corruptionem, cum nostra corpora corrumpantur.

XXVII.

Fidelis cõjũctionem inter se, cõmunione q̃ ipsis cum Christo est niti.

Hæc piorum cum Christo unio, causa est coniunctionis fidelium inter se, Ioan. 15. 12. & 1. Epist. 4. 11. Nam cum sint eiusdem corporis membra, cuius caput est Christus, pari iure omnes fruuntur. Hinc cohæredes *dicuntur,* concorpores, consortes promissionis, *συμπολῖται τῶν ἁγίων,* concives, domestici, fratres, *&* omnes unus, *Ephes. 2. 19. Matth. 23. 8. Rom. 14. 15. Galat. 3. 28.*

XXVIII.

Quib. modis S.S. utatur in illa cõjũctione Christi & fidelium efficienda.

Media quibus Spiritus sanctus utitur ad hanc κοινωνίαν tam fidelium cum Christo, quàm inter se efficiendum per fidem, & ad eandem etiam obsignandum, sunt Verbum & Sacramenta. *Hinc in Cœna sacramentum panis κοινωνία Christi dicitur, 1. Corinth. 10. 16. quia communionem quæ nobis cum Christo est per fidem, obsignat.*

XXIX.

Cõjunctionem hãc ita quidem esse perfectã, ut suos gradus incrementi habeat, postremum habitura in altera vita.

Vnio hæc fidelium cum Christo, ex ordine seu dispensatione sapientiæ divinæ, sua habet incrementa, & veluti gradus, quibus ad complementum deducitur. Licet enim fides totum Christum gratuito Dei dono, communiter cum fidelibus omnibus possideat ceu communem fontem: fruitur tamen eo in hac vita secundum donatam mensuram fidei, quæ ex fonte illo tantum haurit, quantum Dominus novit expedire, licet eum interim totum possideat. Ephes. 2. 21. & 4. 15. 16.

XXX.

Quinã sint

Gradus communionis non mutant quicquam de substantia fœderis,

fœderis, seu eo quod communicatur: sed tantùm constituunt discrimen in quantitate *&* qualitate. Quantitate, *ut copia spiritus qui fidelibus datur.* Qualitate, *ut in claritate revelationis á parte Dei, & cognitionis ex parte nostra. Act.2.17. Ioel.2.28. Iesa.44.3. Ioan.1.17. Hebr.10.1.* illi gradui.

XXXI.

Sicut Verbo & Sacramentis utitur Deus, ut eam in nobis efficiat & obsignet: sic ijsdem mediis utitur Deus in hac vita, ut eam in nobis augeat, donec per hæc incrementa & augmenta, ad plenam fruitionem eius nos tandem deducat. 2. Cor.5.18.20. Qua ratione ad summum gradum conscendatur.

Irenæus lib.3. cap. 19.

Sicut de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis: Ita nec nos multi unum fieri in Christo poteramus sine aqua quæ de cœlo est.